



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Mariae Virginis Sacratiss. Miracvlorvm Libri Tres**

**Vismara, Ercole**

**Mediolani, 1579**

Mirac. Virg. XLIII. Dei matris, ac D. Petri precib., coenobita se mortis  
aeternae crimine expedit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64305)

laetus mortem obiit; eiusq. misericordiam expertus est, quam ex animo maximis uotis obsecrauerat. Licet hoc perrarò indicetur, & innotescat; solet tamen saepissimè nobis ex hac uita migrantib. adesse Dei maximi filia, quae salutis nostrae magis studiosa est, quàm nosmet ipsi. Accedit egregium militis exemplum, qui in ceteris improbissimus, manè, cum è lecto exsurgebat, & uespere ante quàm in somnum oculos declinaret, semper Virginem salutabat; cuius postea opera, & auxilio ex aeternae mortis periculo euasit.

## MIRAC. VIRG. XLIII.

*Dei matris, ac D. Petri precib., coenobita se mortis aeternae crimine expedit.*

**I**N coenobio D. Petro dicato quidam minus integrè, & purè uitam degerat. Forte aegrotans pharmacum biberat, quam ob potionè creptis sensib. absq. sacramentis ecclesiae interijt. anima a cacodaemone tenebricosa mortis loca abrepta est. At D. Petrus, seruatorem nostrū pro miseri salute piè orabat. Ita Petrum Christus allocutus est: Iam ne, Petre, eius psalmi memoria tibi excidit, quem instinctu meo uates cecinit: Quis habitabit in tabernaculo tuo? cur summa coeli templa is ingredietur, cui nunquā cordi fuit ullum bonum, qui pertinax in peccatis callū obduxit? Interim ad Virginem Petrus confugit, uti ea miseri coenobitae causam ageret. Cùm illa splendidissima ante filij conspectū prodijisset, ab ipso amatissimè interrogata est, quidnam facti opus esset. dixit

xit ipsa, se hominis illius conseruādi ualde cupidam esse. Respondit Christus; nihil sibi potius esse, quam ut carissimae matri rem gratam faceret. Ut autē ille ipsius Virginis precib. condonaretur; animam ad corpus redire iussit; uti, cum monachum peccatorum suorum prius poenituisset, tandem uitae sempiternae felicitate perfrueretur. De ea re ab ipsa lucidissima coeli stella, Petrus certior factus, immēsa clauis, quam gestare solet, cacodaemones tundens, illos expulit; uindicatāq. ab illorum potestate animam illam Angelis commisit. E morte suscitatus monachus haec omnia, uti eueniant, omnib. palam aperuit.

## MIRAC. VIRG. XLIII.

*Pium monachum, à quo summa ueneratione, & mirifica animi attentione obsecrari solita erat, Virgo osculatur.*

**I**N Hispania priuati, & litterarū imperiti monachi, quib. nulla sacerdotij dignitas delata erat, adeo spectata uita, & sanctis morib. excelebant; ut illi, qui sacerdotes erant, in ipsis tanquam in speculo se contemplarentur. Horum unus animi erga Virginem ita studiosi erat; ut, dum in templis hymnos caneret, non modò in singulis uerbis, sed etiam in syllabis, & elementis quibusq. insistens alta mēte repeteret Virginis memoriam. In sanctissima, & laudib. digna consuetudine totum decennium perrexit sanctus uir, ab honesto instituto ne transuersum quidem digitum unquam recedens. Tandem ille morbo laborare incepit; ad quem praefectus monachum misit, qui in ijs, quae